1472 riguarda alli Boni in Castelbaldo 451

semia

IN christi nomine domini nostri iesu christi Amen. Anno ab eiusdem domini natiuitate. Millesimo quadringentesimo Septuagesimo Secundo indictione quinta die ueneris tertio mensis iulij. Padue in episcopali palatio in audientia noua superiori insignis Reverendissimi Domini episcopi. presentibus reuerendo domino Thadeo quirino decretorum doctore canonico brixiensi. Domino Ioanne de iocundis auditore insignis reverendissimi domini episcopi. Spectabili et eximio iuris doctore domino Nicolao de fiumine filio clarissimi doctoris domini iacobi. et domino Francisco de porcilijs filio domini dominici iuris doctore. ac bartholameo lupato filio ser oliuerii. hiis padue in contracta caude longe coadiutore episcopalis cancellarie paduane testibus ad hec habitis et rogatis et alijs. Ibique coram Reverendissimo in christo patre et domino domino Iacobo Zeno dei et apostolice sedis gratia episcopo patauino et comite Saccensi dignissimo personaliter constituti Egregius iuris scholaris. Dominus hieronymus michael quondam clarissimi doctoris domini iacobi ciuis et habitator padue in contracta sancti Danielis. et ser petrus frater suus. humiliter et deuote. et cum omni debita reuerentia pecierunt. cum omnimoda culpe et negligentie remissione. quam incurrissent propter non petitam neque acceptam de infrascripto feudo decimali. seu parte feudi decimalis inuesti[turam] temporibus debitis et consuetis tam per promotionem Reverendissimorum Dominorum episcoporum paduanorum. tam videlicet predecessoris eiusdem Reverendissimi domini episcopi qu[am] ipsius domini episcopi et per mortem dicti quondam domini iacobi patris eorum de eodem feudo Seu eadem parte feudi decimalis inuestiri. De quo feudo seu parte feudi alias et ultimo idem quondam nobilis dominus iacobus michael pater eorum. et nobilis ser Baldus michael eorum patruus a bone memorie quondam domino petro donato olim et tunc episcopo paduano fuerunt inuestiti. sub anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo septimo indictione quintadecima. die ueneris quartadecima mensis iunij. prout constat publico instrumento subscripto et rogato per dominum henricum quondam liberti de saxonia publicum notarium et olim ac tunc dicti quondam domini petri donati cancellarium ibidem producto et a me notario et cancellario infrascripto uiso et lecto. Qui quidem Reverendissimus dominus episcopus et comes visis et diligenter examinatis iuribus et instrumentis priorum et antiquarum inuestiturarum alias de huiusmodi feudo seu parte feudi decimalis factarum et potissimum dicte ultime. petitionem dictorum fratrum exaudiuit benigne pariter et admisit. Et uolens predecessorum suorum uestigia in bonis actibus imitari. eosdem dominum hieronymum et petrum fratres coram se flexis genibus debite constitutos. et presentem inuestituram humiliter pe[tentes] recipientes atque acceptantes de predicto et infrascripto feudo decimali seu parte feudi decimalis. pro ea parte que spectabat ad dictum quondam d[ominum] patrem et decima iureque decimandi ac percipiendi colligendi et habendi fruges fructus ac redditus decimales. Omnium et Singularum peciarum terrarum infrascriptarum. tamquam de feudo seu parte feudi ueteris et antiqui. iuxta priorum et antiquarum inuestiturarum alias de huiusmodi feudo factarum et maxime dicte ultime formam et tenorem. per anulum aureum quem in suis tenebat manibus. gratiose ac liberaliter cum omnimoda culpe et negligentie remissione presentialiter inuestiuit. Succedentibus in ipso feudo decimali. seu parte feudi decimalis filijs et heredibus dictorum fratrum legitimis et naturalibus masculis et feminis. ita tamen quod extantibus masculis femine non succedant. Sed deficientibus masculis femine. et deficientibus feminis etiam extranei heredes quicumque succedant et succedere possint et debeant. Saluo semper omni et quolibet iure prefati Reverendissimi domini episcopi et episcopatus paduani ac omnium aliarum personarum. Itaque per presentem inuestituram nemini in suis iuribus preiudicium generetur. et presertim ecclesie de castrobaldo ita et taliter quod per ipsam inuestituram ipsi uassalli et successores eorum nullo tempore prescribere possint contra dictam ecclesiam per continuam possessionem siue per aliquem modum directe uel indirecte quouis titulo siue iure. Sic quod si ullo unquam tempore appareret ipsam ecclesiam habere uel habere ius in dictis decimis ipsarum peciarum terrarum ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc. ipse Reverendissimus dominus episcopus habere uoluit ipsam inuestituram pro nulla et non facta ipsis fratribus et uassallis predictis. Cui quidem conditioni protestationi et clausule ac contentis in ea ipsi fratres consenserunt. et acquieuerunt. Intuitique inuestiture huiusmodi ipsi fratres iurarunt ad Sancta dei euangelia corporaliter tactis Scripturis. fidelitatem ueram et debitam ipsi domino episcopo et episcopatui paduano ac Successoribus suis canonice intrantibus se perpetuo fideliter seruaturos. Cum omnibus et singulis clausulis et capitulis in sacramento fidelitatis et uassallagii contentis et iure expressis tam noue quam ueteris constitutionis. ¶ Feudum autem predictum et pecie terrarum de quarum decimis dicti fratres sunt ut premittitur iure feudi inuestiti ut sequitur sunt hec videlicet. Primo una pecia terre pratiue et uallive camporum sex posita in uilla castribaldi in contracta que dicitur massango cuius tales sunt confines ab uno latere agger atitis ab alio latere ser leopardus. ab alio latere prata que olim uocabantur prata curtis. ab alio latere heredes quondam antonij pecorarij. ¶ Item una pecia terre aratorie cum uno campo prati quadraginta camporum et uocatur mansus magnus posita in dicta uilla castribaldi cuius pecie terre tales sunt confines. ab uno latere uia communis ab alio uince ambrosij de marchesinis. ab alio guido et iacobus fratres de bertholotis ab alia bartholomeus michael siue eius heredes. ¶ Item una pecia terre partim aratorie et partim pratiue camporum decemnoue posita in dicto territorio castribaldi cui coheret ab uno latere bartholameus quondam bagosij ab alio degora communis ab alio nicolaus bonifatij ab alio guido et iacobus fratres de bertholotis. ¶ Item una pecia terre aratorie et pratiue camporum uigintiduorum posita ubi supra qui campi uocantur mansus paruus. cui coheret ab uno latere guido et iacobus de bertholotis. ab alio franceschetus et guido predicti. ab alio ioannes quondam marci ab alio uia communis. ¶ Item unum sedimen camporum trium cum dimidio uel circa. positum in dicto territorio. cum uitibus et arboribus cui coheret ab uno latere uia publica ab alio bartholameus Rayne ab alio ser leopardus. ab alio bartholomeus michael siue eius heredes predicti. ¶ Item unum sedimen quatuor camporum uel circa plantatum uitibus et arboribus positum ubi supra cui coheret ab uno latere bartholomeus careta ab alio heredes bartholamei stragolini ab alio heredes predicti bartholamei michael. et ab alio ser leopardus. ¶ Item tria sedimina posita ubi supra camporum nouem uel circa quibus coheret ab uno latere martus de martijs mediante quodam itinere per quod itur ad ipsa sedimina ab uno latere petrus de larasia qui uocatur petrus romani ab alio prata guidonis de bertholotis. ¶ Item unum sedimen camporum trium uel circa positum ubi supra cui coheret a tribus partibus uia communis ab alia bertholotus et bartholomeus fratres de bertholotis. et forte predictis et aliis peciis terrarum et sediminibus alie et plures sunt coherentie ueriores.

D. S.

Et ego Daniel Sarracenus quondam gregorii ciuis uincentinus publicus imperiali auctoritate notarius et prefati Reverendissimi Domini episcopi patauini cancellarius et continuus commensalis. Quia dicte inuestiture feudali ut premittitur facte una cum prenominatis testibus rogatus interfui. Ideo in notam sumpsi fideliter et manu alterius me alijs occupato negocijs in hanc publicam formam redegi fideliter. et manu propria me subscripsi Signo ac nomine meis appositis consuetis in fidem ac testimonium premissorum.